Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio
Eq. Zulechemi Domino, &c C. Barlaeus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

fasciculum Epigrammatum tuorum tradidit mihi Muydensis Satrapa. quorum alia Latio, alia nostro sermone effers. Perinde enim tibi est, qua me lingua exerceas, dummodo loquacitatem meam provoces, et muto dudum extorqueas vocem. Quae Belgice lusisti in Damasippum pictorem, pastilli nobis sunt & offulae melle soporatae, licet pictori cicuta sint atriumque. Illud in Vitriarium nostrum plane ad palatum meum est, et ipso vitro pellucidius. Illis versibus elatior pedibus per summa volaret Culmina, nec teneras planta contingat aristas. Dignus est bonorum amore, ob egregias naturae dotes, quas si arte expolivisset, invidendus esset seculo. Comoediam jocularem scripsit, quae sub prelo est, tam densa facetiis et e media plebe petitis salibus, quam tragoedia gravitate dictis. Tessellae misi tetrastichon tuum. respondet tetrasticho parisyllabico, nec inelegante:

V reeden wel gegront,
Hoe welse seider een grauw is,
Is smaeckelyck in myn mont,
Om datse nimmer lauw is.

Etiam viduis sua bilis inest. Addit in litteris suis: Het snerpent geyst van ons hooch Hoffwyckse Poëet bejaeghe mij eghter vrogh, hoe sij das kour oft heer. Epigrammata reliqua nisi a Te profecta scirem, imputarem prioribus seculis. Incipis loqui et scribere apertius. Iterum censura mea illa distrinxi, at sine populi suffragio. Inventionibus felicissimus es, et quae invenisti argute satis eloqueris. Elaboratissimum est illud in Reginae adventum. nec patrem sentis infelicius fuit filius, ubi scribis, pudnit frigoris orbem, Dum calet Auriacus. Ego quoque frigoris orbem,

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 152
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2976

Ego Heroicos aliquot deproperavi, quos alia occasione depromam:

Altera iam nostris mater Berecynthia terris
Cernitur, et Regum praebent spectacula nuptae.
Nil facimus vulgare. Deas natasq. Deorum
Excipimus. Surgunt Batavis clarissima mundi
Lumina, sceptrifero rursum splendescimus ostro,
Purpuraq. imperiis se bellatricibus offert &c.

Illa quae Incerti autoris vocas, supra genium huius aevi sunt. praesertim illud: Cum sustinere vellet, Auleus absindit. Illud in secundas nuptias me non suffragante scripsisti. Incipe coniugii votum suadere secundi.
Opto bonam rursum ducere, nolo malam.

Sculpitur hic effigies Elizabethae Principis Bohemiae. In eam haec lusi:

Fortunae domitrix, augusti maxima Regis
Filia, doctrinae pulchra scientis amor,
Naturae labor, hoc vultu spectatur ELIZA,
Et faciem fati vim superantis habet.
Exulat et terras, quas nunc sibi vindicat Ister,
Iure, patrocinio, spe putat esse suas.
Si patriis Caesar titulis successit: illud
Frangere debebat Caesaris arma caput.

Sed nolim hoc à pluribus legi, ne gratia novitatis pereat.

Vale Hugeni praestantissime, et ubi militem ex hybernis excivertis, ipse ex hybernis prodi, et in Muydensi te arce vel hic Apollinem aut Parlamenti futurum Praesidem, siste. Filiis meis verbis bene precare. Amstelod. VI April. CIↃIↃCXLII.

Istud urgeo, ut Epigrammata mea edas, aut alio fine remittas descripta, ne videatur valere &c.

Vnum rogo, ut filii manu mihi descriptum mittas Epigramma illud Tuum in Staffordium Comitem. Charta haec in [illegible] miseri viri fatum obtinere, ut ad manus meas venit, legi; sed negligenter descriptum.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 152
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2976

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 152
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2976